

archidiachonus, comes Conradus de Salma, Comes Gilebertus filius Ottonis de Los, Tiebaldus de Lehaia^a, Godefridus filius Frederici de Duerbon. Predictus autem comes Henricus de Durbuy ipsam traditionem sancto Iacobo in ipsius ecclesia reddidit offerens eam ad sacrosanctum altare, me quidem Henrico episcopo ibi presente. Isti quoque interfuerunt: Arnulfus comes de Los, Godescalcus de Ceunaco, Cuno de Hairs, Lambertus de Forun, Guinricus de Calmunt, Albricus de Lineh, Elbertus de Seran. Quibus peractis non longe post ad huius rei confirmationem, et ut liber esset Raginerus a iuramento, a predicta marchisa directę sunt litterę^b continentēs hęc: 'H. Leggensi episcopo M. dei gratia si quid est fidele servitium et abbati de sancto Iacobo similiter fidele servitium. Mercatum, quod fecistis cum^c Raginero^c nostro scilicet de allodio quod emistis, recte fecistis et bene placet nobis et libenter concedimus vobis. Nos iccirco mandamus vobis, quam voluntatem habemus in hac re, ut absque ulla contradictione et refutatione in vestitura vestra amplius firmiter valeatis retinere'. Facta est utraque traditio anno ab incarnatione domini MLXXXIII, indictione VI, imperante Henrico III^d, tunc etiam Henrico^e episcopo, Roberto abbate^e.

Post hęc autem et aliud commodum eidem abbati et illis fratribus adquisivi. Erat enim de prepositura sancti Petri eorum possessioni nomine Calcharię terra quędam adiacens plena his quę raspalia vulgus vocat. Hęc vineis apta videbatur. Huius ergo concambium impetravi a preposito sancti Petri Iohanne, illisque fratribus reddita ex parte sancti Iacobi silva quadam, quę^f illorum silvę pertinenti ad villam nomine Fleimala contigua et adherens erat, multum melior predicta terra, asserentibus ipsis fidelibus sancti Petri adiuratis a me per sacramentum fidelitatis, quod iuraverant, sicut moris est iurare ministros, quod etiam pretio librę valentior esset. Hoc autem nos eo consilio providimus, ne, si quando concambium displiceret, ipsum infringendi daretur occasio. Cum autem infra terminos eius ecclesię, quę sita est in villa Auguria, eadem terra conia-

a) Zwischen 'de' und 'Lehaia' ein Verbindungsstrich. b) Dahinter kleine Rasur. c) 'cum Ragi' auf Rasur, dahinter 'nero' am Rande nachgetragen; vielleicht stand ursprünglich 'servo' da, wie in dem DH. IV. Stumpf Reg. 2889a, s. oben S. 413, N. 2. d) Vor 'III' Rasur wohl von 'I', über 'III' von anderer Hand 'cio' geschrieben. e) In dem gefälschten Exemplar (s. oben S. 415, N. 1): 'me Henrico episcopo, Roberto abbate sancti Iacobi; actum feliciter'. f) Dahinter Rasur, auf der auch noch 'i' von 'illorum' steht.